

05

A

1087





Q. D. B. V.
EXERCITATIO PHILOLOGICA
De

LINGVIS IGNITIS

EX
ACT, C. II. com. 3.

QVAM

IN CELEBERRIMO AD ALBIM
ATHENEO


PRÆSIDE

M. Gottfried THILONE,

AURIMONTE SILESIO
PUBLICO τῶν Φιλολογῶντων EXAMINI
SUBJICIT

DAVID GEHDLER
WRATISLAVIA SILESIVS.

IN AUDITORIO MINORI
AD DIEM XVI. MAJI. HOR. MATUT.



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXIIX.

EXERCITATIO PHILOLOGICA

LINGVÆ
IGNITIS

AVT. C. H. COHN



M. G. GEORGIUS

1807 A 50

DAVID GEORGIUS

IN AMPLISSIMO
MUSEO
EXAMINATA ET HENCKELII, AD 1807
ANNO M. DC. LXXX.





Σὺν Θεῷ παλάμα!
Πεγάλιον



Nter insignia admirandi prorsus favoris ac clementia documenta, illustre maximè est, quod Benignissimum Numen tanto nostrum genus dignatus est opere, ut non tantum olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως loqui Patribus: verum ad idem etiam cominùs accedere & de gratiosa hâc suâ presentia certis quibusdam, quæ in sensu incurrerent, signis erudire illud voluerit. Neg, hoc uno eodemq, modo sed vario multipliciq, Collegit egregium exemplorum numerum non contemnendâ solertia Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus. (a) Quare nos taciti, omnes istas spectabiles ἱστορίας, quæ ad miraculum usq, diversis temporibus, distinctisq, personis factæ sunt, præterimus. Præ reliquis tamen eminet in Scripturâ S. illa, quæ nascente Ecclesiâ N. T. Hierosolymis contigit, cum SPIRITUS S ANCTUS in LINGVIS IGNEIS super Apostolos effunderetur illosq, novis indueret virtutibus. Quid enim mirabilius hoc, vel visum vel auditum unquam fuit, inde à mundi incunabilis? Cælum scinditur & diffinditur, nubes rumpuntur, & factus est repente sonitus ὡς περ Θεορροίης πνοῆς βιαίας tanquam ruentis flatus violenti, qui replevit totam domum. Conspecta insuper sunt Lingvæ Apostolorum dispersitæ instar Ignis. Apparitio profectò talis in qua probè probeq, evolventa, multum diligentia curaq, ponamus, præprimis tempore hoc Pentecostali, quo Ecclesiâ tanti miraculi, solennem ac festivam celebrare solet memoriam. Non autem Theologorum intrabimus Scholas intimiora Θεωρεῖσθαι illius scrutaturi; sed in Philologia nos exercebimus spatii, descripturi LINGVAS IGNITAS.

(a) Quæst. 2. super c. XI, L. III. Reg.

VENI Sancte Spiritus,
& emitte cælitus
Lucis tuæ radium! Fiat!

§. I.

ARdua certè res est, quam tractandam nobis proposuimus, quippe quæ jamdudum in diversas sententias rapuit cum Theologos tum Philologos. Antequam verò ad considerationem ejus nos accingamus, limis, quod dicunt, tantum admirandi hujus spectaculi, theatrum contemplari sedet animis. Est verò illud *ἱερωσόλυμα* Hierosolyma sive *ἱεροσαλῆμ*, quæ voce in utraq; lingua indeclinabili LXX. utuntur. Hebræi nominant *ירושלים* & defectivè *ירושלם* Chirek sub litera *ם* scripto, de qua quidem varietate confer *Sixt. Amamam* (*β*) *Haksp.* (*γ*) & *Hottingerum* (*δ*). *Syrus* *ירושלם* Jeruschelem. Urbem hanc à Melchizedeko conditam & *שלם* denominatam esse colligunt partim ex Gen. XIV. v. 18. ubi dicitur: *מלכר צדק מלך שלם* partim ex *Josepho* (*ε*) qui idem attestatur. Sed postea à Jebusæis aucta & munita, dicta fuit *ירושלם* quasi à *יראו* videbunt & *שלום* pacem. Atque in hac urbe, quæ Judææ Metropolis & *τῆς οἰκουμένης* i. e. orbis habitabilis (ex mente & opinione Veterum) umbilicus erat, accidisse miraculum hoc, ex *Act. I. c. v. 4.* liquidò constat.

§. II. Et hæc de loco communi. Circa proprium diversæ apud Autores deprehenduntur sententiæ. Quidam in templo Spiritum S. effusum esse asserunt: Alii in domo privata. Utraque pars suas habet rationes. Qui pro ædibus privatis militant urgent, quod locus effusionis *οἶκος* seu *Domus* vocitetur (*ζ*). At quis nescit, dicat aliquis, etiam templum aliquando *οἶκος* seu domum appellitari. In specie domum *Mariæ Matris Johannis* fuisse *Nicephorus* autumat (*η*). Theophyl. censet fuisse *Simonis leprosi*; (*θ*) *Euthym.* ibidem ait fuisse *Josephi ab Arimathia, Nicodemi aut similis viri potentis.* conf. *Baron.* (*ι*) & *Adrichom.* (*κ*) Et *Johannes Baptista Villalp.*

β) in *Antib. Bibl.*

γ) in *Nor. pagin. 478.*

δ) in *Thef. Pbil. L. I. c. III. sect. 4.*

ε) *L. III. de Bel. lo c. 18.*

ζ) *Act. H. v. 15.*

η) *L. II. Hist. Eccl. c. 2.*

θ) in *Matth. XXVI.*

ι) *Annal. ad A. C. 34.*

κ) in *Descript. Jerus.*

pan-

pandus, cœnaculum istud, ubi congregati fuere duodecim illi viri, usq; in hodiernum diem maxima veneratione, in summitate montis Sion, coli, refert (λ). Ludovicus de Dieu nec non Clariss. Dn. Fesselius (μ) & cùm his plures alii Doctissimi Viri effusionem Spiritus S. in cœnaculo aliquo ipsius templi factam censent. Sic enim Fesselius: Nec dubium est, quin talem sibi locum de legerint Apostoli cum dicantur, (ν) semper fuisse in templo αἰνῶντες καὶ εὐλογῶντες τὸν θεὸν h. e. laudantes & benedicentes DEO. Describunt hunc locum Lucas (ξ) nempe fuisse ἱεραῶν, (Syr. ܢܗܪܝܥ) & ἦσαν κατεμένοντες & c. h. e. cœnaculum, ubi commorabantur & c. Hoc conclave in quo Apostoli unanimiter precibus invigilabant (ο) vocatur αἰεθ (Syr. ܢܗܪܝܥ) domus, ædes: quod nomen à LXX. mutuati sunt, qui etiam vocem ܢܗܪܝܥ conclave, οἶκον verterunt (π). In hujusmodi enim templi conclavi Apostolos fuisse, cum Spiritus S. visibiliter in die Pentecostes super ipsos effunderetur, luculenter apparet tum è Luc. XXIV. v. 53. ubi expressa templi fit mentio, in quo Apostoli, post ascensum Christi Hierosolymam reversi, convenerunt, ad laudandum & celebrandum DEUM, tum ex Act. I. vers. 13. 14. ubi monstratur ἱεραῶν, conclave, in quo commorati sunt, concorditer instantes oratione & deprecatione & c. Hætenus ille.

§. III. Verum enim verò utut hæc speciosè dicantur, calculum tamen Dn. D. Job. Tob. Majoris meteri non potuerunt, qui opinionem istam de musto & lacu adhuc ferventem vocat, & fundamenta ejus sufficienter destruit. (ε) Existimat enim difficile creditu esse, Apostolos ante visibilem sanctissimi Flarus dationem in cœnaculo aliquo templi publico, publicam fidei confessionem edidisse aut coadjutorem elegisse. Arbitratur itaque ἱεραῶν fuisse in domo aliqua privata cœnaculum quoddam superius ad quod scalis ascenditur, quodque Hesychio & Julio Polluci (σ) dicitur ἀνώγειον οἶκημα h. e. superius domus habitaculum. Ita Erudissimi Viri inter se bella gerunt. Nos nihil definimus, sed quemlibet suo abundante sensu permittimus.

λ) Tom. III. ad
Ezechiel.
μ) in Advers.
L. I. c. IX. §. 3.
pag. 56.
ν) Luc. XXIV.
vers. 53.
ξ) Act. I. vers.
13. 14.
ο) Act. II. v. 2.
π) Jer. XXXV.
vers. 4.

ρ) Exegem. in
Act. Apost. p. 1.
disp. 2.

σ) L. I. c. VIII.

(τ) *Lucas Act.*
II. v. 1.

(υ) *In Notis*
ad b. l. p.

779

(Φ) *in notat.*
figurar. ad Act
Apott. p. 20 7.

(χ) *In prat. L.*
V. p. 159

(ψ) *In Can.*
isagog. 217

(ω) *h.c.*

(α) *Adv. sacr.*
LIIIc. 1p. 192.

§. IV. Quando autem summum istud miraculum ceperit, expressè docet Evangelista, (τ) scilicet, in solennitate Judæorum Pentecostali. Sic enim ille: *καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς*, h. e. ut felicissimè B. Dn. Erasmus Schmidius expressit. (υ) *Et cum completum esset tempus usq; ad diem festum Pentecostes.* Et qui priori loco nominandus erat Clariss. Camerarius. (Φ) *Quum dies adesset is, quo completeretur numerus quinquaginta dierum à Paschate, qui dies quinquagesimus eximio nomine appellatur.* Ubi tamen observandum τὸ πεντηκοστῆς non Adjectivè accipi sed substantivè & quasi nomen proprium. Sicuti etiam nos hodie Pentecosten & Pfingsten / quod ex priori natum est, substantivè ac propriè usurpamus, non Adjectivè. Malè itaq; vulgatus & qui eum, velut mancipia sequuntur Dietsbergius & Vetus Augustana, pro singulari Græco substituerunt Numerum Pluralem, vertentes: *cum completeretur dies Pentecostes.* Nec est quod Drusius (χ) contendat omninò legendum esse τὰς ἡμέρας non τὴν ἡμέραν. Prisci enim, quos urget, codices & autoritas J. J. Scaligeri (ψ) id nondum evincunt. Erasmus, qui certè non paucos codices contulit, ita ad hunc locum notat: *Dies Singularis est numeri: itaq; completeretur legendum est.* Equidem non differi possumus Syram versionem etiam Pluralem habere, tam in verbo quam in nomine: Sic enim illa: *וכר אתמרו יומתא* h. e. *quum implerentur dies.* Verùm versio est, non textus authenticus. Quare dulcius, addo etiam purius, ex ipso fonte bibuntur agra.

§. V. Quomodo autem completi dicantur quinquaginta dies nostrum non est in præsentis disputare. *Laudatus supra B. Schmidius (ω) τὸ συμπληροῦσθαι* hic non significare absolutam completionem subjecti nominati seu ipsius Festi vel diei Pentecostes (alias vespere hæc facta fuissent) sed spatii interjecti cū ipso initio subjecti nominati, censet. Cui, suffragatur ex a. Pl. Rever. Dn. Fesselius (α) hanc tradendo regulam: *Sæpe in S. S. cū impleri dicuntur anni sive dies, non id intelligitur de impletione dierum omnium anni, authorarum omnium diei, sed de numero annorum vel dierum.* Sicut itaq; à nato infante usq; ad circumcissionem numerandi erant dies octo, ideoque cum octavus ad venerat rectè diceban-

bantur impleri octo dies : Ita à Paschate ad Pentecosten numerandi erant dies quinquaginta ; ubi ergò dies quinquagesimus advenisset , rectè dicuntur completi dies Pentecostes. Atque in hoc sensu sunt capienda verba Megalandri Lutheri : Da der Tag der Pfingsten erfüllet war &c. Alià viâ nodum hunc solvunt Nicolaus Müllerus (b) Johannes Cloppenburgius (c) & J. Tob. Major (d) qui consuli possunt. Si quis nunc porrò instet & curiosius quærat, quotò temporis articulo, quotâ horâ, novum illud lingvarum lumen Apostoli acceperint, hoc capiat responsi, paulo ante horam tertiam. Id quod ex textu colligitur: Quia enim Petrus horâ tertiâ Apologiam suâ habuit, necesse est effusionem eam antecessisse. Siquidem, sparsio rumoris per urbem, confluxus populi ejusdemq; cum stupore auscultatio moram aliquam temporis arguere videntur.

§. VI. Hactenus de loco & tempore. Nunc audiamus ipsius miraculi consignatorem Lucam, qui ita loquitur (e) και ὡφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς : ἐκάθησε τὸ ἐφ' ἓνα ἕκαστον αὐτῶν. Hisce subjungere placet versionem B. Schmidii cum qua Vetus amicè conspirat. Ita autem habet: Et visæ sunt eis dispersitæ linguæ, instar ignis: seditque super unum quemq; eorum. Examinabimus verò singulas voces, quæ lucem aliquam themati nostro affundunt. Primò omnium occurrit particula και quæ licet varias sæpè induat significationes: at tamen hoc in loco, uti alibi frequentissimè, copulandi vi pollet. Connecit enim præsentem versiculum cum præcedentibus. Postquam completi essent dies Pentecostes & Apostoli in eodem loco ἐπὶ τὸ αὐτὸ vel uti nonnulli codices legunt, ὁμιλοῦντο (quod Suidas interpretatur ὁμιῶ, Syrus autem ἠῤῥῆδῃ h. e. una vel simul) eodem animo, ὁμοθροαδὸν (quam vocem per τὸ ὁμοψύχως καὶ ὁμοφρόνως, Adverbia, Suidas exponit. Lutherus Einmüthig bey einander) convenisset; Ecce tunc factus est αὐθω repente è czelo sonitus ὡς περ Φερομένης πνοῆς βιαίας, qui undiquaq; magnò cum impetu sonituque totam replevit domum καὶ ὡφθησαν αὐτοῖς Et visæ sunt eis &c.

§. VII. Vetus vertit, Apparuerunt illis Ut sit sensus, Apostoli viderunt linguas igneas super unum quemq; in suo cætu distribui, iudice

(b) In Kalend.
dor. Jud. anno-
rum Luna Sol.
(c) in Epist. ad
L. Capell. (d)
l. c.

(e)
Act. II, v. 3.

(iii)

B. Smi-

(f) e. l.

(g) I. Corint.
XV. v. 5.

(h) v. 6.

(i) Matth.
XVII. v. 3.

Marc. XI. v. 3.

Luc. I. v. 11.

Act. VII. v. 2.

B. Schmidio (f) qui similia loca adducit ubi eodem modo ὡς ὅθι
αὐτοῖς usurpatur e. g. (g) ἡς ὅτι ὡς ὅθι κηΦᾶ : pro ὅτι ὡς ὅθι αὐ-
τὸν ὁ κηΦᾶς. Et quod fuerit visus Cepha it. (h) ὡς ὅθι ἐπὶ τῶν πεντῆκο-
στοῖς ἀδελφοῖς h. e. ἀδελφοῖς ἐπὶ τῶν πεντῆκοστοῖς ὅτι πάντων αὐτῶν
(i) Visus est amplius quam quingentis fratribus & plura alia (i) Hunc
sensum quoq; observant Erasmus & Beza. B. Lutherus reddit.
Man sah: an Jhnen &c. ac si esset ὡς ὅθισαν ἐν αὐτοῖς Priori sensu
indicatur flammulas ignis in specie linguarum visas fuisse sin-
gulis Apostolorum distribui. Posteriori verò accipiendæ sunt
Lingvæ ut membra corporum Apostolicorum, visæ quasi igne-
æ & divisæ.

§. VIII. Sed cum in his major difficultas non deprehen-
datur, mox ad sequentem vocem αὐτοῖς progredimur. Est verò
illa Pronomen relativum & respicit versiculum primū hujus ca-
pitis, ubi dicitur quod ἀπαντες omnes cōcorditer in eodē loco
fuerint. Ubi per ἀπαντες omnes Camerarig intelligit illos quorū
supra (i) facta est mētio & numerus indicato circiter centū & vi-
ginti, ita ut non tantum Apostoli, verū etiā reliqui Christi disci-
puli, immò & γυναῖκες mulieres, ut Vulgatus trāstulit, vel discipu-
lorū uxores, ut Beza interpretatur, & Maria mater Jesu de mira-
culo isto participarint. Alii, qui Apostolis propriū censent hoc
lingvarum donum ceu quibus, ut Ecclesiæ Novi Instrumeti Pa-
patriarchis, docendi omnes gentes sparta erat cælitus demādata,
per ἀπαντες, omnes duodecim Apostolos, substituto jam in locū
Judæ Matthiæ, & ita numero redinte grato indigitari asserunt
exclusis cum B. Virgine non tantum uxoribus aliis, sed reli-
quis etiam discipulis. vide Celeberr. Schmidium.

(i) Act. 1 v. 15,

(m) l. c.

(m) Novimus qui-
dem lingvarum lumen non minus ac alia S. S. χαρίσματα etiam
aliis extra Apostolorum consortium communicata fuisse, ni-
hilominus tamen posteriorem sententiam quæ soli veneran-
do Apostolorum ordini hoc vendicat, probabiliorē putamus.
Beza, Casaubonus, Valæus, Curcelleus diserte in majore rei fidem,
testantur in quibusdam codicibus legi ἡσαν ἀπαντες Ἀπόστολοι ὁ-
μοιομοῶν ἐν τῷ αὐτῷ. Et Vetus Augustana (n): Die Jünger waren
alle bey einander an derselben Statt. Hæc dum urgeret Be-
za in Pictores invehitur. Opinor, ait, ridicule facere eos, qui

(n) edita A.
clo. CD. XXC.

617

eum hanc historiam pingunt, solent Mariam, matrem Domini, in medio Apostolorum collocare, nimirum ut eam etiam Collegii Apostolici Reginam faciant.

§. IX. Pergimus, pergit enim Historicus noster ad Lingvas dispersitas. Διαμεριζόμεναι γλώσσαι vocantur. Circa Erymon vocabuli γλώσσα Grammatici certant & ad hoc sub iudice lú est. Quidam id á καλέιν, Alii á Πῶνλα quod manifestare sermoné notat, derivant; Nonnulli ab Hebræorú Jafschó pro qvo, Arab. **نور**. Eustatbius γλώσσαι deducit á κλέιν frangere quod sit flexilis. Clariss. Martinus (o) non dubitat, dici γλώσσαι á κλέος id est fama, gloria; inde κλέος & κλέος voco, appello. celebros, & κλέος est vocatio, appellatio. Lingva est instrumentum vocandi & celebrandi; unde & Gloria aliqquando ipsam lingvam significat. Ab illo κλέος etiam est Chaldæorum **ܕܗܦ** laudare, celebrare, clamare. Est alias vox hæc etiam **πολύσημος**, sed h. l. accipitur pro parte illá corporis quæ sermonis organum habetur. Et hæc dispersitæ lingvæ *Cornelio á Lapide (p) dicuntur distributæ per singulos, ita ut quisqve suam partialem lingvam capiti infidentem habuerit. Multi tamen verosimilius autumant lingvas singulas propriè fuisse dispersitas, id est dissectas, ut Tigurina vertit (ex significatione Græci διαμεριζόμεναι:) ita ut lectili formâ apparuerint. Declarant id simili quod narrat Diodorus Siculus; (q): Nimirum in insula quadam reperiiri homines, qui habent dissectam lingvam, ita ut simul dupliciter, adeoque cum duobus loqui possint: unâ enim parte lingvæ loqui uni, alia alteri. Stupendum certè miraculum, nisi meram redoleret fabulam. Voluit autem Spiritus Sanctus dispersitis his lingvis apparere ad innuendam Apostolorum πολυγλωτίαις, quod Theologi docent. Ante immisam á Summo Numine γλωτίζουσαν univêrsâ terra unius erat labii, sed divisum illud est in Babel ad distrahendos homines (r) In Festo Pentecostes iterum lingvæ sunt dispersitæ, sed ad uniuersos homines. Ita quod ποινωμεν olim fuit & medium homines dispersendi: illud ipsum rursus χαρισίμεν*

(o) in Lexic.

(p) Comment.

in Act. Ap. c. II.

p. 65.

ή ται πολυ
γλωττα

(q) L. II. c. ult.
tim.

(r) Gen. XI.

- evasis, mediumq; fuit homines in unitatem fidei congregandos, in-*
 (1) *In Notis ad* *quit B. Schmidius (f). Plura Domini Theologi.*
 N. T. C. XIX. §. X. Excipiunt autem Lingvas divisas in textu no-
 Job. p. 754. stro, ignitz. Ita enim fluunt verba : *Et vise sunt eis dispersita*
lingve ωσει πυρός, instar ignis. Est autem τὸ ωσει (quod ex ως
& εἰ componitur, respondetq; Latinorum ac si, vel quasi) in-
terdum vocula similitudinis rei, vel representationis rei, quasi,
acsi, velut, tanquam, sicut, gleich wie/ gleich als/ ut ωσει περιεπαύ
 (t) *Matth. (t) quasi columbam & in aliis quam plurimis locis (u). Inter-*
 c. III. v. 16. *dum propinquitatis, circiter, serè, fermè, quasi, ungefährlich/ bey-*
 (u) *Marc. I. laufftig/ fast. ut αἰδέσθωσει πεντακχιλιοι circiter quinqvies*
 v. 10. *Luc. III. mille. Bey fünfftausend Mann. (x) Sic ωσει μεναῖς τρεῖς. (y)*
 v. 22. *Job. I. Bey drey Monden &c. Hic loci τὸ ωσει non a actionem incu-*
 v. 22. *bantis Spiritus, sed ad ipsum Spiritum refertur qui apparuit*
 (x) *Matth. in specie ignis. Non enim ipsa essentia Spiritus Sancti vi-*
 XIV. v. 21. *debatur sed ωσει πυρός instar ignis. Τὸ πῦρ verò ἂν בער ardere*
 (y) *Luc. I. v. deducunt Philologi. Hic statim observare licet, solemne ac*
 36. *familiaire olim supremo Numini fuisse, ut Igne frequenter*
ad præsentiam suam mortalibus declarandam uteretur.
Fecit id jam tum in prima mundi hujus infantia, cum suum
 (z) *Gen. IV. erga Habelam amorem contestari vellet. Quando enim (z)*
 4.5. *dicatur : וישע יהוה אל-הבל ואל-קין ; ואל-קין מנחתו ; ואל-קין*
Et respexit Jehovah : ואל-קין מנחתו לאשערו
ad Habel & oblationem ejus, ad Cain verò & oblationem ejus non
respexit : Solent id pleriq; Ebræi omnes non alio
sensu accipere quam quod Ignis cælo divinitus
 (α) *Gen. XV. delapsus Habelis sacrificium absumerit, Caini verò inta-*
 17. *ctum reliquerit. Neq; verò aliò spectat, quod, cum Dominus*
foedus cum Abrahamo pangeret, (α) וישע ורביד אש
furnus fumi & lampas ignis per discissas animalium partes (juxta
morem Orientalium in foederibus ferendis consvetum)
transvise legitur. Ad hoc Apparitionu genus, referri meretur
 (β) *Exod. III. illa, quâ Moysi oves in Horeb pascenti, Angelus Jehovah in*
 v. 2. *rubo ardenti apparet (β). Et cum supremus Legis lator, le-*
gem suam solenni ritu populo Judaico promulgare vellet,
tunc mons Sinai fumabat totus, eò quod descendisset super eum
 Jeho-

Jehovah in Igne. (γ) Sed jam ante DEUS populum Israëliticum in egressu ex Ægypto per Ignis & Nubis symbola comitabatur (δ) Postquam autem certus cultui ejus consecratus esset locus, gratiosam hanc suā presentiam, sub iisdem adstrinxit symbolis. (ε) In templo illo magnifico Salomonis, *Ignis descendit de cælo & consumpsit holocausta atq; victimas.* Immo frequentissimum est ut DEUS in Scripturis appelletur אור *Lux.* (ζ) Atque hinc putat *Abarhenel* (η) *Fieri, quod DEUS & Sapientibus (Judeorum) dicatur אור מוחלט Lux absoluta, אור קדמון Lux prima h. e. eterna, אור צה Lux nitida, אור מצוחצח Lux splendidissima; quia visum fuit nomen lucis melius exprimere ejus naturam, quam alia nomina.* Hæc postquam proposuisset, elegantem affert inter Deum & Ignem comparisonem, quam breviter adjiciemus: *Quemadmodum, dicit, primò in luce solari & ignea præter illuminationem, quæ opus est longè præstantissimum utilisimumq; etiam invenitur combustio & consumptio, quæ est quasi pessimum & perniciosum: Sic Deus OPT. MAX. est lux & illuminans vitam, existentiam, omneq; bonum in creaturas infundens pro suâ gratiâ & misericordiâ: sed simul etiam ab ipso proveniunt, prout justum & æquum est, pœna, combustio & consumptio, ad instar consumptionis Ignis, in eos, qui eam promeruerunt.* Quæ omnia idèò adduximus, ut constet non infreqvens fuisse DEO ab omni ævo, per Ignem præsentiam suam contestari. Et ita quoque Spiritus Sanctus *ὁ σεί πνεύρος* instar Ignis super Apostolos descendit. Ita Christus illos baptizavit *ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ* visibiliter in festo hoc Pentecostes. (θ)

XXIX. v. 18.
 (δ) *Exod. XIII.*
v. 21. 22
 (ε) *Exod. XL.*
 (ζ) *Pf. XXXVI.*
10.
 (η) *in disput.*
ad c. XL. Exod.

(θ) *Matth. III.*
p. II.

§. XI. Postquam de his constat, discutiamus porrò quæ circa lingvas Ignitas occurrunt. Ubi statim sese, hæc quæstio offert. An Lingvæ Apostolorum verè fuerint ignitæ, an verò speciem duntaxat ignis habuerint. *Cajetanus* lingvas illas similitudinem tantum ignis habuisse existimat; primò, in colore rubro; secūdò, in fulgore, tertio in volubilitate & motu. Ast alii, ac reum fuisse Ignem contendunt, sicut verus

(i) *Matth.* fuit sonus, vera περιεργὸς columba (i). Vocem ὠσεῖ, tanquam, III. v. 16. in qua adversa cohors præsidium quærit, quod attinet. (απε x) *Job.* I. ea in S. literis non similitudinis sed indubitata certitudinis v. 14. nota est. v. gr. (κ) κρη ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς λ) in *Not.* μνογονῶς. Et vidimus gloriam ejus quasi unigeniti h. e. juxta super l. b. B. Schmidium (λ) gloriam ejus summam, utpote μνογονῶς ὡς πατρὸς i. e. quam par est habere unigenitum à Patre.

(μ) in Et hanc sententiam multi amplectuntur, cum Deus Πα- Comment. τίσμασι ludere non soleat. Cornelio à Lapide (μ) prior in *Act.* A. sententia uti simplicior ita quoque germanior videtur. Vi- post. c. II. detur ergò, inquit, ignis hic similitudinarius fuisse aër, aut vapor p. 65. densior, cui DEUS indidit lucem roseam & rubeam instar ignis, in speciem linguæ conformatus, ita ut videretur esse lingua ignea. Quam in rem plures cumulavit rationes, sed tales, quæ examen non sustinent. Nos easdem reservabimus publico conflictui.

S. XII. Sed videamus jam, unde Lingvæ & ignis ille fuerint. Lingvas illas non humanas ac carneas fuisse (hec enim fuissent crasse, & indecentes ac incongruæ ad representandum Spiritum S., qui subtilissimus Spiritus est) sed speciem ignis referentes, Auctor est Cornelius à Lapide (ν). A quo recedunt Philologorum non pauci, qui utique veras lingvas (membrum illud nobilissimum) fuisse censent. Ita B. Lutherus: und man sahe an Ihnen die Zungen zertheilet &c. Ita pleriq; alii. Ignem verò non naturale & ordinarium quid fuisse, illud apud omnes in confesso fore existimamus. Ignis enim, qui Corpus N. simplex est, sibi relictus à comburendis capillis & capitibus Apostolorum non abstinisset. Schor- rus quidem multos modos à combustione sese conservandi tradit (ξ), sed hi omnes nihil huc faciunt. Quare restat ut ad extraordinarium & ὑπερφυσικὸν ignem & supernatura- liter productum confugiamus. Cur verò Spiritus S. ὠσεῖ πῦρος instar ignis, & non in columba vel aliâ quadam visibili specie in Apostolos descendere voluerit, Theologis discutiendum relinquimus. Nolumus falcem nostram in alienam mittere messem.

(ξ) in *Ma-*
giasua
Pyrotech.
L. II. p. 4.

Frustra

§. XIII. Frustra autem omnino quærun-
t, quærun- que quærun- t, quorsum designato hoc miraculo Ignis ille
pervenerit: Quorsum quæso illa species, qua se Deus Ada-
mo in felicitatis horto ostendit? Quorsum iste ignis, qui
circa rubum arsit, quorsum columna, quæ interdiu nubila,
noctu verò fideli igne conspicua fuit? Sed nos nugas has
linquamus & revertamur ad nostrum textum, cujus ultima
verba hæc sunt: *Ἐκάθισέ τε ἐφ' ἓνα ἕκαστον αὐτῶν. Seditq;*
supra unum quemque eorum, vel ut Vulgata; super singulos
eorum. Est verò *ἕκαθισε* à verbo *καθίζομαι*, quod non
semper notat situm corporis specialem sive sessionem, sed
in genere mansionem in illo loco. Ita Matthæi IV. c. v. 16.
Ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει &c. & alibi. *Ἐκάθισε* sedit
non ἦχον sonus aut ventus (hic enim movebatur & agita-
batur totam domum) sed τὸ πῦρ ἐκεῖνο vel τὸ πνεῦμα ὡς ἐπλήθη-
σαν πάντες. *Ignis enim ille, inquit, B. Schmidius (π) cum π) l. c.*
Spiritu S. mystice conjunctus fuit. Ἐκάθισε autem non situ sed
permanfione. Notanter autem dicitur *ἕκαθισε sedit in sit-*
gulari, quia unus erat Spiritus. Syrus autem adhibet Plura-
lem, sederunt, respiciendo linguas igneas, quæ plures erant
in pluribus.

§. XIV. Ubi autem sederit Ignis, an in ore, an verò
supra capita Apostolorum curiosè inquirendum non est.
Patres communiter censent τὸ πῦρ insedisse capitibus
Apostolorum. *Cyrillus Hierosolymit. (g) sedit, ait, super il-*
los, ut nova corona spirituales per linguas igneas imponantur XVII.
capiti illorum. Et hinc arripuerunt Pictores ansam linguas
illas sursum flammantes & pyramidalis figurâ ex capite in
acumen surgentes, pingendi. Multi verò Ignem in os eo-
rum se inseruisse asserunt. Ita sua cuiq; sententia. Miran-
dum verò est, quod inter tot fabularum reliquias, Romana
superstitio Apostolos hoc Ignis Symbolo creatos esse Epi-
scopos in Pentecoste, cum prius à Christo in ultima canâ
dicente: Hoc facite in mei commemorationem, creati es-
sent Presbyteri, impudentissimo ore affirmare non erube-
scant. (σ)

σ) Franc.
Turriang
L. I de Hie-
rarch. a-
pud. Cor-
nel. à Lapi-
del. c.

§. XVI. Tandem finito hoc actu ἐπλήθησαν

ἅπαντες πνεύματι Θ. Ἄγιῳ, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, hoc est repleti sunt omnes Spiritu S. cæperuntque loqui aliis lingvis. Loquebatur unus unâ, alius aliâ linguâ, dicit Cornelius à Lapide (τ) v. gr. Andreas Parthicè, Johannes Gracè, Jacobus Persicè, Simon Germanicè. Et hæc ipsa est causa cur multitudo tantopere obstupesceret ac confunderetur, quod audiret ἕκαστος Θ. unusquisq. τῆ ἰδίᾳ ἀγαλλίαται propriâ suâ linguâ loquentes alios (υ). Nec immeritò. Erat enim notorium, illos ipsos Galilaos esse, (Φ) cæteris Judæis hebetiores, quorum lingua βάρβαρον καὶ σλόικόν ἦ inerat (χ) h. e. non purè ἔtersè loquebantur, uti Judæi, qui כחכחן וישן scitè & eleganter aliàs sermocinabantur. conf. librum Talmudicum Eruvin, & Buxtorf. (ψ) Quæritur nunc, quomodo id factum? Aliqui quidem, Apostolos unâ duntaxat linguâ locutos, nimirum vernaculâ; sed à variis variarum linguarum hominibus miraculosè intelligi potuisse. Ita Camerarius, & Claud. Salmasius (ω) quorum posterior hunc in modum scribit: Mimbantur Græci qui aderant, ita Galilaos à se intelligi quasi Gracè loquerentur. Similiter ἔ Parthi, Medi, aliarumq. nationum homines haut secus, quæ ediffertabant, intelligebant, ac si Parthicè ἔ Medicè concionarentur, aut eâ linguâ, quam quisq. eorum, qui ei inter erat, callebat. Favere huic sententiæ videtur id, quod dicitur v. II. ἀκούμεν λαλούντων αὐτῶν ἑαῖς ἡμετέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τῆ θεῶ. Nos omnes audimus eos loquentes lingvis nostris Magnifica Dei. Immo implicat eundem eodem tempore simul diversis loqui lingvis. At locus allegatus non probat, quod probare debebat. Non enim dicitur λαλοῦσιν αὐτοὶ, ἀκούοντων ἡμῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις, sed λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις. Unde etiam patet, miraculum hoc non fuisse in audientibus, sed in Apostolis loquentibus. Et Apostolos dono Spiritus S. ad quosvis quacunq. ipsorum lingua, sed successive, loqui potuisse haut obscure innuit ipse

tex-

(τ) Comment.
in Act. c. II. v.
pag. 71.

υ) vers. 6.
Φ) Act. c. I. v.
II. it. c. II. v. 7.
χ) Matth.
XXVI. v. 73.

ψ) Opere
Rabb. Rad.
573.

ω) de Lingua
Hellenist. qv.
VI.

textus. Ita enim (a) expresse dicitur ἤρξαντο λαλεῖν ἐπέ-
 ραις γλώσσαις, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδε αὐτοῖς (Αποστόλοις)
 ἀποθέσειν αὐτοῖς (ἀκροαταῖς) εἰσακήσασαι. Ita
 B. Schmidius (b). Syrus, loquebantur lingua & lingua i.e. plu-
 ribus lingvis. Accedit quod alioqui miraculum hoc non-
 tam in ipsis Apostolis, quam in Auditoribus fuisset. Lege
 Gregorium Nazianzenum (c)

a) vers. 4.
 b) l. e.
 c) In ser-
 mone de
 Pentecosta
 d) l. c. p. m.

§. XVII. Utrum verò virtus hæc variis loquendi
 lingvis, Apostolis infusa sit per modum habitus disputent
 alii. Sanè Cl. Salmasius (d) dationem Spiritus S. miracu-
 losam se habuisse ad modum actus transeuntis, non autem
 permanentis expresse docet, quando ita philosophatur:
 Falluntur, qui putant, ab illo miraculo Apostolis infusam fuisse vir-
 tutem variis loquendi lingvis, quas ipsi nō didicissent, & quæ in toto
 orbe frequentabantur: nō enim verisimile est, ultra diem illū durasse
 vim illam, quam Spiritus S. iis adflavit, quæ lingvis omnibus ferun-
 tur loquunt, tantū per locū habitum, quam diu lingvæ singulis di-
 stributa, super cuiusq; caput insedisse dicuntur: ablatis lingvis cessa-
 vit miraculū, & desierunt loqui lingvis. Quod illustrat tali simili:
 Fama, inquit, est, eos, qui possidentur à Dæmoniis, sæpe multas
 externas usurpare lingvas, quas non noverunt, sed inspiratione ex-
 piratâ, demonio egesto, in antiquum redeunt, nec amplius sermo-
 nes illos profantur, quos Spiritu maligno suggerente effutiebant:
 nec mirabitur ex diversâ causa produci eundem effectum, qui me-
 minerit, quid actum sit circa baculorum in serpentes conversio-
 nem, tam à Mose quam ab Ægyptiis sapientibus; Spiritus non unus
 eadem tamen operabatur. Porrò dicit, Apostolos indignuisse In-
 terpretibus Syris & Græcis, Petrum Marco, alios aliis, quippe qui
 vernaculam tantum noverant, Græcæ prorsus ignari, si Paulum
 excipias, qui in Græcia natus linguam Græcæ eque familiarem
 habuit ac Syriacam, ceteri non nisi serò admodum eam didicisse vi-
 dentur, postquam iussi sunt ad gentes pergere. Hinc sæpè Apосто-
 los & Christi discipulos, Rusticos, rudes ἀγεγραμμάτους; ἰδιό-
 τες, plebejos, opifices, piscatores nautas & portitores appellat,
 quorum idioma triviale ac sordidum, barbarismis ac solæ-
 cismis oblitum erat ex Arnobio (e). Sed non contende-

e) L. I. ad-
 versus
 gentes.

mus

f) l. c. in
e. Vl. v. i.

mus cum tanto Viro prolixè. Lumen Lingvarum in copio-
fissimâ illa Spiritus S. donatione, actum transitorium fuisse,
μέγα λίαν αἴτημα est *Dn. D. Majori* (ε). Si enim habitus ille
lingvarum non fuit infusus, sed crebris exercitiis compa-
ratus nil novi accessit Apostolis, cum id cum quolibet ho-
mine commune habeant. conf. *Luc. XII. v. 11. 12.* Deinde li-
bris quidem usum fuisse Paulum novimus ex *II. Timoth. IV. 13*
an verò interpretibus opus habuerit nullibi in sacris literis
legimus. De cæteris videatur *laudatus supra Major aliq.* Nos
plura non addimus. Tu verò, B. L. *qua sunt male dicta,*
homini adscribe, & da veniam: quæ bene dicta,
DEO attribue, & da
GLORIAM.



05 A 1087

ULB Halle

3


003 765 415



1087







Farbkarte #13

B.I.G.

Q. D. B. V.
EXERCITATIO PHILOLOGICA

De
LINGVIS
IGNITIS

EX
ACT, C. II. com.3.

QVAM
IN CELEBERRIMO AD ALBIM
ATHENÆO
PRÆSIDE

M. *Gottfried* THILONE,
AURIMONTE SILESIO
PUBLICO τῶν Φιλολογῶντων EXAMINI
SUBJICIT

DAVID SCHÖTZ/
WRATISLAVIA SILESIIUS.

IN AUDITORIO MINORI
AD DIEM XVI. MAJ. HOR. MATUT.

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXIX.